



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Concilium Cabilonense, Clodovei II. Regis Evocatione VIII. Kalendas
Nouembres in vrbe Cabilono in basilica S. Vicentii celebratum, circa
annum Christi DCL. Martini papae II. Clodouei eiusdem regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

⁴ Anno Domini 649. &c.] Constat ex initio auctorum Concilii, vbi ^{Tempus} dicitur : hæc Synodus celebrata anno nono Constantis, ^{Concilii.} indictione octaua : quæ tempora cum anno redemptoris nostri Iesu Christi 649. & initio pontificatus sancti Martini coincidunt.

ANNO
CHRISTI
650.

CONCILIVM CABILONENSE, CLODOVEI II. REGIS EVOCATIONE

viii. Kalendas Nouembres in vrbe Cabilono in basiliça S. Vincentii celebratum , circa annum Christi DCL. Martini papæ ii. Clodouei eiusdem regis vi.

TITVL CANONVM.

- I. *Vt fidei Nicenæ norma in omni- bus conseruetur.*
- II. *Vt Canonum statuta seruentur.*
- III. *De clericorum cum extraneis feminis familiaritate fugienda.*
- IV. *Ne duo in ciuitate una eodem tempore habeantur episcopi.*
- V. *Vt seculares nondum clerici, parochias aut earum res non regant.*
- VI. *Nemo ante audientiam res ecclesia inuadere presumat.*
- VII. *Res defuncti presbyteri, vel abbatis, intactæ permaneant.*
- VIII. *De pœnitentia peccatorum a sacerdotibus indicenda.*
- IX. *Ne mancipia Christiana extra regni terminos vendantur.*
- X. *Vt episcopi a comprouncialibus, clero, & ciubus suis elegantur.*
- XI. *Vt iudices publici per monasteria & parochias, nisi inuitati, non discurrant.*
- XII. *Vt duo abbates in uno monasterio non sint.*
- XIII. *Vt nullus alienum clericum retineat, nec ordinet, sine episcopi sui voluntate.*
- XIV. *De oratoriis pervilleas potentum, ut clerici qui his deseruiunt in episcopi libera sint potestate.*
- XV. *Vt abbates & monachi seculari patrocinio non vtantur, & principem sine episcopi sui permisso non adeant.*
- XVI. *Vt nemo ad sacros ordines per premium promoveatur.*
- XVII. *Vt nullus secularium in ecclesia, vel in ipsius atrio, scandalū aut similitates excitare presumat.*
- XVIII. *Vt die dominico ruralia opera nemo exerceat.*
- XIX. *Ne turpia vel obscena in basilicis, aut in earum porticibus & atriis, cantari permittantur.*
- XX. *De Agapio & Bobone Diennensis urbis episcopis.*

PRÆFATIO.

P RISCIS quidem Canonibus noscitur institutum , vt metropolitani cum eorum comprouncialibus per singulos annos debeant in synodali coniungi Deo propitiante Concilio. Sed nunc tam ex communi omnium voluntate, quam ex euocatione vel ordinatione gloriosissimi

Concil. Tom. 15.

Oo

290 MARTINVS P. I. CONCILIVM CONSTANS IMPERATOR.
CLODOVEVS II. REX FRANC.

domini Clodoueiregis , pro zelo religionis , vel orthodoxyæ fidei dilectione , in Cabilonensi vrbe in ecclesia sancti Vincentii pariter congregati , ipsius sancti martyris intercessionem poscentes , vt longæuitatem supradieti principis suo suffragio mereremur , & inspiratione diuina interueniente , de Canonibus significaretur , quod si fuisset aliquid prætermissum , vel per negligentiam , aut ignorantiam vitiatum , in pristinum statum , sicut dudum fuerata sanctis patribus statutum , deberet auxiliante Christo Dominino reformari .

C A N O N E S .

I.

Ita omnes vna conspiratione & conniuente animo sentientes definiuimus , vt fidei norma , sicut in Nicæno Concilio pia est professione firmata , vel a sanctis patribus tradita , atque ab ipsis exposita , vel in postmodum a sancto etiam Calchedonensi Concilio firmata , in omnibus & ab omnibus conservetur .

II.

Canonum vero statuta ab omnibus intemerata serventur .

III.

Licet iam prioribus Canonibus fuerit statutum , placuit tamen renouare , vt si quis episcopus , presbyter , aut diaconus , vel quicumque ex sacerdotali catalogo , præter personas quæ in ipsis Canonibus continentur , cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præsumperit , quæ dedecoris vel adulterii possit afferre suspicionem , iuxta statuta Canonum ab ordine degradetur .

IV.

Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore nec ordinentur , nec habeantur episcopi , ne res ecclesiæ sœua diuisione debeat partiri .

V.

Sæculares vero , qui necdum sunt ad clericatum conuersi , res parochiarum , vel ipsas parochias minime ad regendum debeant habere commissas .

V I .

Vt nullus ante audientiam res quarumlibet ecclesiarum inuadere , aut auferre præsumat : quod qui fecerit , vt necator pauperum habeatur .

V I I .

Vt defuncto presbytero , vel abbatte , nihil ab episcopo auferatur , vel archidiacono , vel a quocumque , de rebus parochiæ , vel xenodochii , vel monasterii aliquid debeat minuere . Quod qui fecerit , iuxta statuta Canonum debeat coerceri .

V I I I .

De pœnitentia vero peccatorum , quæ est medela animæ , vtilem hominibus esse censemus : & vt pœnitentibus a sacerdotibus data confessione indicatur pœnitentia , vniuersitas sacerdotum noscitur consentire .

I X .

Pietatis est maximæ & religionis intuitus , vt captiuitatis vinculum omnino a Christianis redimatur . Vnde sancta Synodus noscitur censuisse , vt nullus mancipium extra fines vel terminos , qui ad regnum domini Clodouei regis pertinent , penitus debeat venumdare : ne , quod absit , per tale commercium , aut captiuitatis vinculo , vel , quod peius est , Iudaica seruitute mancipia Christiana teneantur implicita .

X .

Si quis episcopus de quacumque fuerit ciuitate .

Concil. Tom. 15.

O o ij

te defunctus, non ab alio nisi a comprouincialibus,
clero, & ciuibus suis, alterius habeatur electio: sin
aliter, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

X I.

Peruenit ad sanctam Synodum, quod iudices
publici contra veternam consuetudinem per omnes
parochias, vel monasteria, quæ mos est episcopis
circuire, ipsi illicita præsumptione videantur dis-
currere; etiam & clericos vel abbates, vt eis præpa-
rent, inuitos atque districtos ante se faciant exhibe-
ri: quod omnimodis nec religioni conuenit, nec
Canonum permittit auctoritas. Vnde omnes vna-
nimiter censuimus sentientes, vt deinceps ista de-
beant emendare: & si præsumptione, vel potestate
qua pollut, excepto inuitatione abbatis vel archi-
presbyteri, in ipsa monasteria vel parochias aliquid
fortasse præsumperint, a communione omnium
sacerdotum eos conuenit sequestrari.

X I I.

Vt duo abbates in uno monasterio esse non de-
beant; ne sub obtentu potestatis simultas inter mo-
nachos, & scandala generentur. Verumtamen si
quilibet abbas sibi elegerit successorem, ipse qui e-
ligitur, de facultatibus ipsius monasterii ad regen-
dum nullam habeat potestatem.

X I I I.

Vt nullus alterius clericum retinere præsumat,
sicut priscis est Canonibus statutum, nec ad sacrum
ordinem sine voluntate episcopis sui penitus promo-
uere.

X I V.

Nonnulli ex fratribus & coepiscopis nostris re-

<sup>ANNO
CHRISTI
650.</sup> sidentibus nobis in sancta Synodo in querimoniam detulerunt, quod oratoria per villas potentum iam longo construēta tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi quorum villæ sunt episcopis contradicant, & iam nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deseruiunt, ab archidiacono coerceri permittant: quod conuenit emendari; ita dumtaxat ut in potestate sit episcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipsa oratoria & officium diuinum possit impleri, & sacra libamina consecrari. **Quod si quis contradixerit, iuxta priscos Canones communione priuetur.**

X V.

Vt abbates & monachi, aut agentes monasteriorum, patrocinio sacerdotali penitus non tantur; nec ad principis præsentiam sine episcopi sui permisso ambulare audeant. **Quod si fecerint, a suis episcopis excommunicentur.**

X VI.

Vt nullus episcopus, neque presbyter, vel abbas, seu diaconus per præmium ad sacrum ordinem amodo penitus accedat. **Quod qui fecerit, ipso honore, quem præmiis comparare præsumperit, omnino priuetur.**

X VII.

Et quia multa per præsumptionem proueniunt, quæ Deo minus placita, & sacris Canonibus videtur esse contraria, quæ a sacerdotibus necesse est coerceri, ita sancta Synodus instituit, vt nullus sacerdotalium nec in ecclesia, nec infra atrium ipsius

O o iij

ecclesiæ , qualemcumque scandalum , aut similitates penitus excitare præsumat ; nec arma trahere , aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere . Quod si quis fortasse præsumperit , ab episcopo loci illius , vbi factum fuerit , ipse iuxta statuta Canonum communione priuetur .

ANNO
CHRISTI
650.

XVIII.

Licet generaliter ab omnibus catholicis , & Deum timentibus diem dominicum , quod est prima sabbati , conuenit obseruari , & sicut in superioribus Canonibus est statutum ; non aliquid novi condentes , sed vetera renouantes instituimus , vt in ipso die dominico ruralia opera , id est arare , secare , messes metere , exartos facere , vel quidquid ad ruris culturam pertinet , nullus penitus præsumat . Quod qui inuentus fuerit faciens , sub disciplina distinctionis omnimodis corrigatur .

XIX.

Multa quidem eueniunt , quæ dum leuia minime corriguntur , saepius maiora consurgunt . Valde enim omnibus noscitur esse indecorum , quod per dedicationes basilicarum , aut festiuitates martyrum , ad ipsa solennia confluente chorus femineus turpia quidem & obscena cantica decantare videntur , dum aut orare debent , aut clericos psallentes audire . Vnde conuenit , vt sacerdotes loci talia a septis basilicarum , vel porticibus ipsarum , ac etiam ab ipsis atriis vetare debeat & arcere . Et si voluntarie noluerint emendare , aut excommunicari debeat , aut disciplinæ aculeum sustinere .

XX.

Agapium vero & Bobonem Diniensis urbis episcopos, pro eo quod ipsos contra statuta Canonum in multis conditionibus errasse vel deliquisse cognouimus, ipsos iuxta tenorem Canonum ab omni episcopatum ordine decreuimus degradare.

S V B S C R I P T I O N E S.

Candericus episcopus ecclesiae Lugdunensis, his constitutionibus subscripsi.

Landalenus episcopus ecclesiae Viennensis, his constitutionibus subscripsi.

Audoenus episcopus ecclesiae Rothomagensis, his constitutionibus subscripsi.

Armentarius episcopus ecclesiae Senonicæ, his constitutionibus subscripsi.

Vylfoledus episcopus ecclesiae Bituricæ, his constitutionibus subscripsi.

Donatus episcopus ecclesiae Vesontiensis, his constitutionibus subscripsi.

Rauracus episcopus ecclesiae Niuerensis subscripsi.

Deodatus episcopus ecclesiae Matisconensis subscripsi.

Pappolus episcopus ecclesiae Genauensis subscripsi.

Palladius episcopus ecclesiae Autifidorenensis subscripsi.

Ferreolus episcopus ecclesiae Augustodunensis subscripsi.

Bertoaldus episcopus ecclesiae Lingonicæ subscripsi.

Audo episcopus ecclesiae Aurelianensis subscripsi.

Malardus episcopus ecclesiae Carnotinæ subscripsi.

Aurelianus episcopus ecclesiae Ventiensis subscripsi.

Baudomeris episcopus ecclesiae Tarantasiensis subscripsi.

Protasius episcopus ecclesiae Sedunensis subscripsi.

Ingildus episcopus ecclesiae Valentinæ subscripsi.

Clarus episcopus ecclesiae Gratianopolitanae subscripsi.

Gratus episcopus ecclesiae Cabilonensis subscripsi.

Florentinus episcopus ecclesiae Bellicensis subscripsi.

Ætherius episcopus ecclesiae Ebredunensis subscripsi.

Magnus episcopus ecclesiae.

Betto episcopus ecclesiae Tricastinensis subscripsi.

Potentissimus episcopus ecclesiae Vappicensis subscripsi.

Arricus episcopus ecclesiae Lausanensis subscripsi.

Claudius episcopus ecclesiae Regensis subscripsi.

Licerius episcopus ecclesiae Vindauzensis subscripsi.

Petronius episcopus ecclesiae Vasionensis subscripsi.

Bertefredus episcopus ecclesiae Ambianensis subscripsi.

Eligius episcopus ecclesiæ Nouiomensis subscripti.
Deocarius episcopus ecclesiæ Antipolitanæ subscripti.
Leborius episcopus ecclesiæ Maurianensis subscripti.
Chairibonus episcopus ecclesiæ Constantinæ subscripti.
Amlacarius episcopus ecclesiæ Sagensis subscripti.
Launobodus episcopus ecclesiæ Lexouiensis subscripti.
Ragnericus episcopus ecclesiæ Ebroicensis subscripti.
7 Betto episcopus ecclesiæ de Iuliobona subscripti.
Betto abba in vicem Latini episcopi ecclesiæ Turonicæ subscripti.
Chaddo archidiaconus in vicem Salappii episcopi ecclesiæ Namneticæ subscripti.
Germoaldus abba in vicem Audoberti episcopi ecclesiæ Parisiacæ subscripti.
Paternus abba in vicem Felicis episcopi ecclesiæ Lemouicæ subscripti.
Chagnoaldus abba in vicem Chadoindi episcopi ecclesiæ Cenomannicæ subscripti.
Bertulfus abba in vicem Durioteri episcopi ecclesiæ Redonica subscripti.

E P I S T O L A
C O N C I L I I C A B I L O N E N S I S
A D T H E O D O S I V M E P I S C O P V M A R E L A T E N S E M .

** Domino semper peculiari suo Theodosio cætus episcoporum, qui nupereft Cabilono vrbe cum Christi gratia adunatus.*

O MNIBVS veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse , quod gloriosus dominus Clodoueus rex in supra scripta vrbe Cabilono oþtauo Kalendas Nouembbris, synodale præcepit esse Concilium. Vbi omnibus nobis, qui in basilica domni Vincentii pariter residentes vestrum aduentum , dum vos propinquos , & iam in ipsa vrbe esse audiuimus , omnimodis præstolati sumus , datur intelligi pro qua re vos in ipso Concilio non voluistis adesse , dum multa aduersus vos , & de indecenti vita , & de excessu Canonum , quod maxime condolemus, perulgata narrantur. Nam & scripta, qualiter vos constitit pœnitentiam fuisse professos , vestra manu vidimus , & comprovincialium vestrorum manibus roborata. Vnde vos credimus iam legisse , nec nos penitus ignoramus , quod qui publice pœnitentiam profitetur, episcopalem cathedram nec tenere , nec regere potest.

ANNO CHRISTI
650. potest. Propterea salutantes beatitudinem vestram honóifice, indicamus ut usque ad aliam Synodum de Arelatensi sede, ubi vos constat pontificalem cathedram tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius ecclesiæ nihil ad vestram dominationem, donec in audiencia ante fratres conueniatis, penitus præsumatis.

N O T Æ I A C O B I S I R M O N D I
S O C I E T A T I S I E S V .

¹ Circa annum DCL.] Sub Clodoueo II. rege habitam fuisse hanc Synodum, Synodus ipsa docet: quanto autem illius anno habita sit, non liquet. Hoc certum videtur, ante annum Christi DCLVIII. id est ante annum XV. Clodouei constitui debere. Nam eo anno Parisiorum episcopus erat Landericus, ut ipsius pro sancti Dionysii monasterio literæ declarant. In hac vero Synodo subscriptit per vicarium Audobertus, qui Landericum antecessit. Quare falluntur omnino, qui Synodum illo anno posteriore faciunt.

² Ut captiuitatis vinculum.] Codex Tilianus, Pithœanus, & Bel-
louac. Ut a captiuitatis vinculo animæ a Chrifticolis redimantur.

Subscriptiones.] Haec in solo erant Bellouacensi, non ordine alphabeticō, sicut in vulgatis, sed quo modo hic digestæ sunt.

³ Protasius Sedunensis.] Vulgati Sentiensis: Protasii Sedunensis episcopi vna cum Domitiano Genauenſi, & Grato Augustensi, mentio fit in actis sancti Mauricii & sociorum.

⁴ Magnus episcopus.] In codice Bellouac. nomen ecclesiæ non exprimitur. in vulgatis episcopus dicitur Atrebatenſis. Verum Atrebates eo tempore, Cameracensibus attributi, proprium episcopum non habebant.

⁵ Betto Tricastinensis.] Editio vulgata: Betto Foroiulienſis.

⁶ Licerius Vindausensis.] id est Carpentoratensis. Sic enim aliquando appellati sunt episcopi Carpentoratenses a Vindausca oppido vicino. Notitia ciuitatum Galliæ: Ciuitas Carpentoratensem, nunc Vindausca. Male ergo vulgati ecclesia Ausciorum habent, pro Vindausensiſ.

⁷ Betto de Iuliobona.] Notum olim huius nominis oppidum in Caletibus, pago Rothomagensi, ubi sedes episcopal is stata non fuit. Bettoni tamen episcopo attributus hoc tempore fuerat hic locus, sicut Austrapius Sellense castrum in Pietonibus apud Gregorium lib. 4. cap. 18. & Moderico vicus Arisitensis, ut paulo ante dictum est.

⁸ Domino Theodosio.] Cod. Bellouacensi, Theudorico. atque ita etiam veteres catalogi episcoporum Arelatensium. alii Theodosium, alii Theodoricum vocant.

NOTA SEVERINI BINII.

Quo tempore habi-
tum. *Concilium.*] Præsentia Clodoueiregis, quem anno Domini 664. diem obiisse scribit auctor appendicis ad Gregorium Turonensem, non patitur post prædictum annum 664. hanc Synodus collocari: vtque eadem anteponatur Clypiacensi Concilio, non admittit subscriptio Andoberti Parisiensis ecclesiæ episcopi. Nam Clypiacensis habita fuit sub Landerico Parisensi episcopo, vt patet ex verbis Aimoini supra allegatis. His itaque de causis visum est mihi, hanc Synodus Cabilonensem ad hæc Vitaliani tempora referendam esse.

CONCILIVM TOLETANVM VIII. ANNO CHRISTI 653.

LII. EPISCOPORVM, XVII. KALEND. IANVARII

ANNO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI DCLIII.

Celebratum tempore Martini papæ, regnante Reccesuintho rege, æra DCXCI. Est vero prouinciale.

- | | |
|---|--|
| I. De catholice fidei plenitudine. | clesiasticarum dignitatum officia, ad coniugia redunt. |
| II. De incauto iuramento. | |
| III. De his qui sacrosanctos ordinibus muneribus a sequuntur, & fautoribus eorum. | VIII. De non ordinandis his, qui psalmorum, canticorum seu hymnorum ignari sunt. |
| IV. De incontinentibus episcopis. | IX. De his qui praetextu incommode agritudinis, quadragesimaie ieiunium soluunt. |
| V. De incontinentibus presbyteris, ac diaconibus, & feminis quæ talibus coniunguntur. | X. De his qui aut per auctoritatem, aut per vim ordinati sunt. |
| VI. De incontinentibus subdiaconi- nibus. | XI. De confirmatione uniuersalium decretorum. |
| VII. De his qui post assumpta ec- | XII. De Iudeis. |

ANNO quinto orthodoxi, atque glorioſi, & vera clementiæ dignitate * perspicui, Reccesuinthi regis, * præci- pui cum nos omnes diuinæ ordinatio voluntatis, eiusdē principis serenissimo iussu, in basilica sanctorum apostolorum ad sacrum Synodi coegisset aggregari conuentum, dies tandem lætitiae, appetitu diutissime præoptatus, & gratus adfuit, & iocundus, tanto nostri pectoris audiiori voto suscepitus, quanto ad remedium salutis extiterat anhe- lantium præcordiis exquisitus. Cumque ex more vnu- quisque nostrum ordini suo sedes debitas occupasset, & euentum rei, tranquillæ intentionis expectatio sustine-